

**05**

**A**

**263**









*Auxiliante Deo Trinuno!*

Dissertationem Theologicam

*Exhibentem*

SPIRITUALIUM  
PAUPERUM BEA-  
TITUDINEM,

juxta Matth. V. v. 3.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi atq; Excellentissimi*

DNI. JOHANNIS Deutschmann/

SS. Theol.: D. longè celeberrimi, ejusdemq; facult:

Prof: Publ: ordinarii famigeratissimi, & Alumnorum  
Electoralium Ephori Gravissimi.

*Dn. Patroni, Fautoris ac Præceptoris sui omni  
bonoris & observantia cultu eternum devenerandi.*

In famigeratissima ad Albim Academia  
*publicè Disquisitioni sistit.*

CHRISTOPH: FRIDER: Grattenauer/

St. Gotthardinenfis Hung: SS Theol. & Phil: Stud:

IN AUDITORIO MAJORI.

Die 4 Octobris Anno M. DC. LXXVII.

---


WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.  
Excud: bat SIMON LIBERHIRT,



SPIRITUALISM  
PAPPERUM BEA-  
TUDINEM



05 A 263







I. N. J.

De

# SPIRITUALIUM PAUPERUM BEATITUDINE.

**T**extus Græcus: Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι: ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Latinus: Beati pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Germ. Lueber: Selig sind/die geistlich arm sind/denn das Himelreich ist Ihr.

1. Christus hanc illustrem concionem à beatitudine gravibus de causis exorditur (1) quia beatitudo finis est totius Christi tum œconomias, tum *Ἀγκυρίας Rom. XV. 8. Luc. IX. 56.* (2) quia beatitudo dicitur scopus omnium concionum Christi, vel etiam omnis doctrinæ, omnis scientiæ. (3) quia cuncta tendunt ad beatitudinem, tanquam ad ultimum finem. (4) quia beatitudo, tanquam vera felicitas maxime nostros animos movere solet. (5) quia sicut David Psalterium, parva biblia, non aliunde, quam à vera beatitudine fuit exorsus *Psal. I. 1.* sic etiam celestis David ordinarium prædicandi munus, cum primis in prolixâ, vereque solenni concione non ab alia materia, quam à beatitudinis præconio, convenienter inchoare voluit.

2. De Pauperum spiritualium beatitudine primum omnium verba facere voluit, quia per istos pauperes spirituales peccatores penitentes intelligit, qui verè pauperes sunt, quia peccatores, hi vero nudi sunt *Gen. III. 7.* & sine DEO, bono non tantum summo, sed etiam quovis alio spoliati: spiritu pauperes sunt, quia penitentes, & in Spiritu suam paupertatem considerant atque deplorant. Nos igitur modo de *Spiritualium pauperum*

A

perum



peram beatitudinis non nihil meditabimur, eamque juxta praesens  
Oraculum contemplabimur.

3. Considerabimus autem hoc Oraculum Christi methode  
consueti I. Quoad *Analysin Grammatico-Philologicam*, in voca-  
bularum evolutione. Μακάριος dicitur à μακάριος, quod ejus-  
dem est significationis, & beatum, felicem, significat: unde  
Graeci Gentiles DEOS suos μακάριος appellarunt, quod hos  
omnium beatissimos judicarent. Juxta nonnullos dicitur μακάριος  
ἀπὸ τῆς μαλίστα χαίρειν, maxime gaudere, cum nullum majus  
quam in vera beatitudine, vel sit, vel esse possit gaudium, ita  
ut μακάριος, vel μακάριοι, sint vere gaudentes, mere gaudentes,  
semper gaudentes. Ab aliis dicitur quasi ἠνάνη, à particula ne-  
gativa ἠν & ἠνέ, factum, quasi μή ὑποκείμεν ἠνέ, qui mala fa-  
ctis non est obnoxius, sed vera beatitudine fruitur: aliis descen-  
dere videtur à μα, jurandi particula, & κάρ, caput, quod bea-  
tudo vere sit caput omnis veritatis, vel omnis doctrina bonam pri-  
mum & summum, finis ultimus & supremus, qui capitae instar regit  
omnia. Hic autem penitentes peccatores beati dicuntur (1)  
verbaliter, quia passive à DEO iuvat beati, non autem active se-  
metipsos beantes: nam in peccatoribus penitentibus nulla reali-  
ter est beatitudo, cum mera propter peccatum in his sit misere-  
ria: nec à peccatoribus beatitudo spiritualis progredi potest, cum  
verè sint corrupti. (2) participialiter, quia τὸ beatus etiam par-  
ticipium est: peccatores enim resipiscentes non propria conditio-  
ne, sed aliena communicatione, non vera possessione, sed mera  
participatione, beati dicuntur, cum omnis ipsorum beatitudo  
tantum ex donatione Christi pendeat. (3) nominaliter, quia μα-  
κάριοι dicuntur: dum enim fide participatam beatitudinem à  
Christo consequuntur, revera sic propter beatitudinem com-  
municatam beati nominantur.

4. Οἱ πτωχοὶ significat [1] mendicos, qui mendicando  
oberrant à τῶ τῶσ σεν, quod est perterrefieri, expavescere, mendi-  
care, oberrare. [2] pauperes & egenos in genere, qui πλεστοίς vel di-  
vitiis contradistinguntur & opponuntur Luc. XVI. 20. 22. Apoc.  
XIII. 16. hinc etiā Traditiones à θεῶν ἡ πτωχα, σιχία infirma &  
egena



*egenae Elementa nuncupantur. [3] Pauperes ministerialiter, ministros in specie, qui multos ditare perhibetur, πτωχοὶ πολλὰς πλάγας γένε, Arme/die viel reich machen. 2 Cor. VI. 9. nam ministri fideles possident DEUM, & in D E O pariter universa: contenti sunt in paupertate donis divinitus concessis, nec plura desiderant. [4] Pauperes Spirituales ut h. l. Luc. VI. 20. &c: Nam h. l. Pauperes dicuntur (1) non in sensu Monastico, vel Papistico, quo Papista peculiare votum pauperis atis fingunt, & tum Monachis, tum Monialibus suis imponunt: sed hæc Monastica paupertas in veris & meris divitiis plerumque consistit. [2] nec sensu mundano, vel externo, qua ratione πτωχοὶ, vel pauperes h. l. juxta Menoch. Tirin. & alios dicuntur, qui bona propria non habent, sed ab aliis ex indigentia percunt: & πτωχὸς h. l. non tam per vocem pauperum, quam Mendicorum, vel egenorum nonnulli Papistarum reddere volunt: quam significationem etiam Autor sub nomine Chrysostomi, juxta Græcum textum urget: in Græco non dicit, Beati pauperes, sed beati egeni, vel beati mendici: nam pauper est, qui angustiam quidem habet, non autem tantam, ut mendicare cogatur: ergo idè dicit: Beati mendici Spiritu, ut in ultima necessitate humiles ostendat. Verum vox πτωχὸς generalis est, adeoque nos vulgatam interpretationem retinemus. Videant vero Papiste, quomodo Vulgata versione ἀθεντικῶν defendere velint, si tam facile receptam ejus interpretationem vel dimitterent, vel corrigere suscipiant.*

5. τῷ πνεύματι. Vox πνεύματος variæ significationis est, sicut passim tum Theologi, tum Philologi notant: h. l. οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι. Lucas c. VI. 20. hoc πνεύματι non addit, sed res eodem recidit, quia verba secundum substratam materiam intelligenda, loca cum locis conferenda, nec scripta divinorum Evangelistarum sunt opponenda. Notanter autem utriusque voci peculiatis articulus præmittitur, οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, nîm. ut designetur, hic non commune, sed potius singulare quid articulorum cumulatione denotari. Dupliciter autem hoc τῷ πνεύματι redditur, quando h. l. cum voce οἱ πτωχοὶ constructur [1] substantive ratione objecti, die am



Geiste arm sind. [2] *adjective* ratione modi, vel status, die  
 geistlich arm sind: prius est *Vulgati*, posterius *B. Lutheri*: neu-  
 tra versionum à textu dicitur aliena, cum *formale & materiale*  
 conjungenda sint, non divellenda. *B. Schmid.* ad h. l. illam  
 huic præfert scribens: πνεύμα significat motus animi interiores,  
 à carne nostra excitatos, ad superbiam in rebus Spiritualibus homi-  
 nem impellentes: alios Spiritus, seu superbiam, cum quâcumq;  
 aliam, tum præcipuè Spiritualem. Sicut & Germani dicunt: Ti-  
 eius hat einen hohen Geist / i. e. superbus est. Οἱ πτωχοὶ igitur  
 πνεύματι sunt pauperes Spiritu, die am Geiste arm sind / potius  
 quam Spiritualliter, die da geistlich arm sind: Spiritualliter enim  
 non πτωχοὶ, sed πλάσιοι esse iubentur. Ideo enim *Salvator* nos-  
 ter *Jesus Christus* propter nos ἐπτώχευσε [quoad opes hujus  
 mundi, adeo ut etiam non haberet in hisce terris, ubi reclinaret caput  
*Matth. VIII. 20. Luc. IX. 58.*] ἵνα ἡμεῖς τῆ ἐκείνης πτωχείᾳ  
 πλησθῆμεν *II Cor. VIII. 9.* Spiritualliter nimirum. χαρίσμασιν αἰσθη-  
 τῆς ἐνεργείας Spiritus Sancti, quem propterea Δὲ λείπεις παλιγγενε-  
 σίας ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλάσιως, Δὲ ἰησοῦ χριστοῦ, τὸ σωτῆρ  
 ὑμῶν *Tit. III. 5. 6.* ut qui nobis hoc promeruit, ut modo ex *2 Cor.*  
*VIII. 9.* didimus. Quibus divitiis Spiritualibus qui destituitur, is  
 coram *DEO* pauper est Spiritualliter, quantis divitiis hujus mundi  
 abundet. Qua de re monet *Filius DEI* Angelum *Ecclesie Laodice*  
 censum, χλιαρόν illum, ἢ ἄτε ψυχρόν, ἢ τε ζεστόν *Apo. III. 16.*  
 qui dicebat v. 17. πλάσιον εἰμι ἢ πεπλησθηκα, καὶ ἔδεινος  
 ἔχω, postquam nempe thesaurus hujus mundi corrasit. Sed subjicit  
*Filius DEI*: ἢ ἄκ' οἶδας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος, καὶ ἐλεεινός,  
 ἢ πτωχός, ἢ τυφλός, καὶ γυμνός, pauper nempe Spirituali-  
 ter, sicut etiam cæcus & nudus. Svadeo igitur tibi [pergit *Filius*  
*DEI*] ut emas à me aurum, igne probatum, i. e. omnis generis  
 Spiritualia bona, igne tentationis & crucis probata, ἵνα πλησθῆς,  
 Spiritualliter nimirum. Hæc ille. Verum *B. Lutherus* non sine  
 causa reddidit, die geistlich arm sind / non tam ratione objecti,  
 quasi bonis Spiritualibus destituantur, licet hoc suo modo quo-  
 que de pœnitentibus ratione sui, sed non ratione *DEI*, vel *Chrô-*  
*sti*, dici possit, quam ratione modi potius dici debeat, vel ratione  
 status



*factus, quod h. l. non corporaliter, sed Spiritualiter pauperes intelligantur. Vid. Dn. D. Calov. in Bibl. illustr. ad h. l.*

5. Dicuntur autem *pauperes Spiritu* [1] *sensu activo*, quia *pauperes Spiritu* non inflantur, neque mente suæ carnis extolluntur, sed potius semetipfos humiliant atque deprimunt, ut testatur exemplum publicani *Luc. XII. 13.* & epiphonema Christi *v. 14.* sicut è contra *Phariseus Spiritu dives* videri, vel etiam esse volebat, *Spiritualibus* [κτ̄ *Φαιτωσίας* talibus] operibus turgidus & inflatus *v. 11. 12.* [2] *Sensu affectivo*, quia nonnulli, juxta *Basilium* sunt *pauperes*, in substantia, avarissimi vero secundum affectum, quos non salvat paupertas, sed damnant affectus. [3] *Sensu passivo*, quia tales etiam à DEO, ceu *pauperes* humiliantur, ut eos extollat, sicut inquit *David Psal. XII. 36.* *in humiliando me, magnum me factis.* [4] *in sensu defectivo*, partim *ratione formalis*, quia juxta *Gloss.* *pauper Spiritu* est humilis corde *pauperem Spiritu* habens, nutritrix cujus est humilitas: partim *ratione materialis*, quia secundum *Gloss. Ordin.* non necessitas, sed fides & devotio paupertatis beatos facit, ut contentis omnibus DEO vivat: hæc duas partes habet, rerum abdicationem, & Spiritus contritionem, ut etiam bonus se inutilem, & cæteris reputet inferiore: vel etiam *pauperes Spiritu* hi sunt, qui omnia habent, & nihil possident. Dicuntur sic *pauperes Spiritu* [1] *ratione DEI*, quia coram DEO mendicæ sumus, nihil habentes, & gloria DEI carentes *Rom. III. 23.* (2) *ratione fidei*, quia fides nostra tota fertur in Christum, & respectu nostri prorsus nihil invenit, in Christo cuncta possidet. Hinc ejusmodi *pauper Spiritu* suam conditionem considerans inquit:

*Nil sum, nil novi, nil possum, nil habeoque,*

*Omnia tu, Jesu, solus ut esse queas.*

[3] *Ratione peccati*, quod nos totos occupat, & plenam privationem bonorum *Spiritualium* importat.

6. ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν ἡρᾶν: nimb. *pauperum istorum est regnum cælorum* [1] non per creationem, quia bona creationis amissa sunt, neque regnum cælorum inter hæc

R 3

bona



bona numerari potest, cum homo creatus sit ad mundum, non ad coelum, ad hoc seculum, non ad futurum. [ 2 ] neque per naturam conditionem, cum natura tota corrupta sit, neque propter peccatum tam coelum, quam infernum possideat, si non de facto, tamen de jure, cum peccator sit inferni candidatus: ( 3 ) neque per acquisitionem, vel naturalem, vel moralem, vel civilem, vel artificialem: licet enim homo sibi varia bona per operationes suas acquirere possit, sive quoad operationes naturales, quibus naturae bona sibi comparat: sive quoad operationes morales, quibus & virtutes Ethicas, & summum bonum practicum acquirit: sive quoad operationes civiles, quibus innumera bona, vel privilegia politica comparare solet: sive quoad operationes artificiales, quibus elegantissima & artificiosissima opificia sibi non tantum, sed etiam aliis efficere valet: neutiquam tamen regnum caelorum artibus humanis sibi comparare movit, cum inter nostros labores, & inter caelorum regnum nulla prorsus inveniatur proportio: sed ( 4 ) per aeternam & gratiosam à DEO preparationem Matth. XXV. 34. ( 5 ) per aeternam & gratuitam DEI destinationem, quia talibus DEUS regnum caelorum ab aeterno destinavit Eph. I. 4. ( 6 ) per gratiosam à DEO donationem, quia talibus pauperibus ex gratia donat regnum caelorum Matth. IV. 17. Regnum caelorum etiam h. l. intelligitur vel de presenti, nimirum regnum gratiae, quia Christus loquitur in presenti: *valium est regnum caelorum*: vel de futuro, regnum gloriae, quia pauperes ejusmodi divitias & delicias regni caelorum olim in gloria per divinam introductionem obtinebunt.

7. II. Quoad Analysin Logico-Theologicam, sic agitur hic de Beatitudine pauperum Spiritualium. Dicitur autem quoad nomen. ( 1 ) Beatitudo quoad formale. ( 2 ) pauperum Spiritualium, quoad materiale. Pauperes Spirituales sunt penitentes fideles, quia ratione nomen hoc complexum etiā *ὁμωρῦμας* dicitur, quia datur ( 1 ) Beatitudo pauperum Spiritualium externa, quando penitentes fideles etiam hujus mundi bonis abundant, e. g. Abraham, David, Salomon &c.: [ 2 ] Beatitudo pauperum Spiritualium



lium interna, quæ consistit in fiduciali remissionis peccatorum,  
& justitiæ Christi imputatæ applicatione, sicut David inquit Psal.  
XXXII. 1. beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta  
sunt peccata: beatus homo, cui non imputavit Dominus peccatum,  
nec est in Spiritu dolus ejus. Vid. Rom. IV. 7. (3) Beatitudo pau-  
perum Spiritualium aterna: nam si perseveraverint in pæniten-  
tia fidei, vel pænitiæ fide, vitam æternam obtinebunt, sic  
cut promittit Christus Apoc. II 10. Esto fidelis usq; ad mortem, &  
dabo tibi coronam vitæ: h. l. non de beatitudine pauperum Spi-  
ritualium externa, quæ non est regni cæli, sed regni hujus mundi  
nec de aterna, quæ dicitur Ecclesiæ triumphantis; sed de interna  
Christus loquitur, quæ fidelibus pœnitentibus in Ecclesiâ militante  
conceditur.

8. Quoad rem notamus (1) Beatitudinis Spiritualium  
pauperum Existentiã, quod datur talis beatitudo pauperum  
Spiritualium, quod probatur (1) ex dictis Psal. XXXII. 1. 2.  
& Cor. VII. 10. & c: (2) exemplis, protoplastorum, qui nudi fue-  
runt, suam nuditatem & paupertatem agnoverunt, ad semen  
mulieris vera fide respexerunt, & beatitudinem spiritualem ac  
æternam salutem obtinuerunt Gen. III. 9. seqq. Davidis II Sam.  
XII. Publicani Luc. XII. 13. seqq.

9. (2) Beatitudinis pauperum Spiritualium essentiã, quæ  
potissimum ex causis cognoscitur. Causa Efficiens est vel princi-  
pali, ním. DEUS per essentiã unus, & quoad personas trinus,  
DEUS Pater, Filius, & Spiritus S. Nam DEUS Pater hos  
Spirituales pauperes regno cælorum donat, eosq; beatos præ-  
stat, tum ratione aeternæ præparationis, quia talibus pauperibus,  
in se nihil habentibus, ab æterno regnum cælorum præparavit;  
tum ratione aeternæ destinationis, quia regnum cælorum his pau-  
peribus destinavit; tum ratione filialis adoptionis, quia tales ut  
filios adoptavit; ratione hereditaria distributionis, quia talibus  
hæredibus aeternæ felicitatis regnum cælorum dispensavit;  
tum ratione nuptialis vocacionis & invitacionis, quia cælestis Pa-  
ter, instar regis, tales pauperes ad regnum cælorum & nuptias  
cælestis regis invitavit Matib. XXII. 1. DEUS Filius est causa  
principalis hujus beatitudinis tum ratione aeterni consilii, quia  
tanquam



tanquam *sapientia celestis* Prov. XIX. 1. & *consiliarius Patris* Esa.  
 IX. 6. *beatitudinis* hujus consilium ab aeterno dedit: tum *ratione*  
*auxilii* quia tanquam *Mediator & Salvator* *beatitudinis* hujus  
 auxilium ipse per incarnationem expedire voluit: tum  
*ratione doctrinalis praeconi*, quia tanquam *Evangelista* *prin-*  
*cipalis* *beatitudinis* auncium ipse protulit in paradiso  
 Gen. III. 15. Prophetis, Patriarchis & aliis viris θεωπνεύ-  
 σοις, tanquam λόγος Patris obtulit, ut revelationes V T per-  
 hibent, & in diebus carnis hoc idem *beatitudinis* auncium suis  
 concionibus attulit, sicut praeter alia praesens oraculum atte-  
 statur: tum *ratione Sacerdotalis meriti*, quia pauperibus his ve-  
 ram *beatitudinem*, & omne *regnum caelorum* meritis est &c.: DE-  
 US Spiritus S. est quoque *causa principalis* hujus *beatitudinis*,  
 quia non tantum viris θεωπνεύσοις eandem revelavit, sed etiam  
 ipsorum *ministerio* nobis consignavit, per verbum his pauperi-  
 bus *beatitudinem* talem manifestavit, per verbi *ministerium* ap-  
 plicavit, per *Sacramentorum* usum obsignavit, imo, quod ma-  
 ximum, ipse pignus & arrhabo *beatitudinis* illius pauperibus  
 Spiritu fieri voluit Epb. I. 14.

10. *Causa Ministerialis* hujus *beatitudinis* sunt *Ecclesiae Mi-*  
*nistri*, qui sunt *oekonomi* *mysteriorum divinorum* I Cor. IV. 1. *beat-*  
*tudo pauperum spiritualium* vere *mysterium* est *divinum*: & certe  
 magna, multaque nostrae carni dicitur opus *informatione* prius,  
 quam seipsam abnegare, paupertatiq; *spirituali* operam dare  
 discat: nec adeo facile *beatitudo* *paupertatis* hujus addiscitur  
 & cognoscitur, adeoque sic *Doctoribus*, & *Ductoribus*, vel etiam  
*manuductoribus ministerialibus* opus est. Hinc etiam ipse *Chri-*  
*stus* h. l. docendi, vel *beatitudinem* hanc conferendi *ministe-*  
*rium* suscipere voluit.

11. *Causa Instrumentalis* h. l. dicitur *ipsum verbum DEI*,  
 nim. hoc *Oraclum Christi Salvatoris*, tum quia *verbum DEI* *vera-*  
*bum gratiae* Act. XIV. 3. *ex gratia* verò *DEI* nobis haec *beatitudo*  
 contingit: tum quia *verbum DEI* *verbum salutis* Act. XIII. 26.  
*vera salus* autem in hac *beatitudine* *spiritualiter* consistit: tum  
 quia *verbum DEI* *verbum promissionis* Rom. IX. 9. haec autem  
*beatitudo* *divinitus* nobis *promissa*: tum quia *verbum DEI*  
 verbum



verbum est regni Matth. XIII. 19. nusquam verò, quam in regno  
DEI beatitudo paupertatis spiritualis invenitur: cum quia ver-  
bum DEI verbum aeternae vitae Job. VI. 68. hæc autem beatitudo  
spiritualis paupertatis nos ad regnum DEI, vel aeternam vitam, ma-  
nudit.

12. *Causa Materialis* vel est ex qua, quia proprie nec datur,  
nec dari potest in hac beatitudine paupertatis spiritualis materia  
quædam ex qua: si quis autem ἀναλόγως velit dicere, quod hæc  
beatitudo constet ex agnitione nostrorum defectuum, vel propria  
indigentia, & apprehensione divina in Christo opulentiæ, nos mini-  
me contradicentes habebit Tit. III. 5. 6. II Cor. IX. 9.

13. Vel in qua, quod est ipsum subiectum, illud considera-  
tur (1) ratione quidditatis, sic nulla creatura capax est hujus bea-  
titudinis, ne quidem Angeli, sed solus homo dicitur hujus beati-  
tudinis subiectum, unde h. l. Christus ad solos homines de beatitudi-  
ne tali verba fecit, & solis hominibus eandem concionibus suis  
obtulit. (2) ratione qualitatis, sic homo (a) non quatenus cre-  
atura, vel quoad statum integritatis, ut imagine divina prædi-  
tus, est subiectum hujus beatitudinis, quia sic dives est, non pauper  
Gen. I. 26. 27. 28. (b) non quatenus est peccator, vel quoad sta-  
tum corruptionis, sic e quidem pauper est, sed in paupertate miser  
& infelix Rom. VII. 24. non autem beatus & felix: (c) nec qua-  
tenus est electus in gloria, juxta statum glorificationis, sic enim be-  
atus est, sed non pauper: nulla siquidem paupertas Electos in glo-  
ria premere poterit, cum DEUS in omnibus sit omnia I Cor. XV:  
penes quem nullus est defectus, nulla paupertas, neque talis  
in eodem esse potest. (d) sed quoad statum gratiosæ restitutionis,  
quatenus est pauper & in semetipso, & fide dives est in Christo, ac-  
que spiritualiter beatus: inde h. l. subiecta sunt (1) Ecclesie vere  
cives. (2) Christi, vel concionum ejus actuales auditores. (3) ma-  
gnâ frequentia ad Christum concurrentes. (4) verè penitentes, &  
peccata commissa per legem agnoscentes, ac de iisdem vehementer  
dolentes. (5) verè fideles, fide CHRISTUM apprehendentes,  
& in eodem omnes spirituales divitias, ac ipsam beatitudinem  
B possiden-



possidentes. Hæ certe sunt egregiæ *subjectorum* istorum *qualitates*. (3) *Ratione quantitatis*, sic *de jure*, vel ex *DEI* intentione, aut ex *causarum* *habitudine*, *amplitudine* & *plenitudine*, omnes *homines peccatores* deberent hujus *beatitudinis* esse *studiosi*: sed quod *dolendum de facto*, vel ex *fiduciali* *causarum* hujus *beatitudinis* *applicatione*, *pauci* sunt, qui ad *possessionem* hujus *beatitudinis* *perveniant*, *pauciores*, qui *beatitudinis* hujus *usum* *diu* *retinent*, *paucissimi*, qui ad *finem* usque *vitæ* in *possessione* hujus *beatitudinis* *perseverantes* *æternum* *ejus* *fructum* in *gloria* *consequuntur*. *Omnibus* *janua* *pateat* ad hujus *beatitudinis* *thronum*, quia *CHRISTUS* *indefinite* *dicit*, *mandat* *exi*, *nullum absolute*, vel *simpliciter* *preterire*, vel *excludere* *decrevit*, prout *Calviniani* *falso*, *contra præsentem* *textum*, *statuunt*, sed *potius* *hic* *omnibus* *æqualem* *ad* *hanc* *beatitudinem* *aditum* *Salvator* *concedit*, *ut* *cullibet*, *saltem* *leviter* *hæc* *verba* *consideranti*, *luculenter* *apparet*: *Malitiã* *verò* *propria* *beatitudinem* *hanc* *pleriqve* *negligunt*, & *media* *beatitudinis* *istius* *contemnunt*.

14. *Vel circa quam*, sic *hæc beatitudo* *dicitur* *circa* *paupertatem* *Spiritualem* *versari*, quia *ratione* *distinguitur* *h. l.* *per* *CHRISTUM* (1) *à beatitudine* *spiritualis* *luctus* *v. 4.* (2) *à beatitudine* *spiritualis* *mansuetudinis* *v. 5.* (3) *à beatitudine* *spiritualis* *famis* *atq; sitis* *v. 6.* (4) *à beatitudine* *miseriçordie* *v. 7.* (5) *à beatitudine* *spiritualis* *munditiæ* *v. 8.* (6) *à beatitudine* *spiritualis* *pacificationis* *v. 9.* (7) *à beatitudine* *persecutionum* *v. 10.* (8) *à beatitudine* *maledictionum* *v. 11.*

15. *Causa formalis* *beatitudinis* *hujus* *spiritualis* *in* *mysterio* *latet*, *neqve* *nostris* *oculis*, *nec* *aliis* *sensibus*, *nec* *animalibus*, *vel* *rationalibus*, *operationibus* *mentis* *pater*, *sed* *tantum* *per* *verbi* *speculum* *nobis* *ad* *contemplandum* *exponitur*. *Nihil* *hic* *scire* *valemus*, *omnia* *tantum* *credere* *debemus*. *Est* *enim* *verum* *paradoxum*, *beata* *paupertas*. (2) *humane* *rationi* *stultum*, *in* *paupertatis* *defectu* *notare* *beatitudinis* *excessum*, *indigentiam* *dicere* *abundantiam*, *carentiam* *affluentiam*. (3) *nostra* *in* *inocina-*

atione



tionem prorsus absurdum, in privatione positionem, in paupertatis miseria notare beatitudinis excellentiam. (4) Homini carnali, vel animali fictum & falsum, quia non nisi per fictionem aliquid esse dicitur, ubi nihil est, pauper dives, infortunatus beatus. (4) in adjectivo contradictorium, quia pauperes sunt revera non beati, h. l. tamen pauperes, & non beati dicuntur à Christo beati, infelices felices, mendicis divites, nihil habentes habentes, egentes abundantes & affluentes.

16. Hanc autem causam formalem absconditam, neque semel, nec simul concipere, vel cognoscere possumus, sed potius per gradus, & partiales conceptus eundem est, ut quoadantenus aliquid de eadem apprehendatur. Sic igitur consistit (1) in paupertatis spiritualis agnitione, nim. ut agnoscamus, nos spiritualiter pauperes, & vere peccatores esse: Si nos agnoscimus, DEUS ignoscit: (2) in paupertatis spiritualis meditatione, nim. ut corde meditemur hanc nostram paupertatem & miseriam Apoc. II. 10. (3) in paupertatis spiritualis concessione & confessione Psal. XXXII. 3. 4. 5. (4) in paupertatis hujus spiritualis, vereq; mirabili cum beatitudine per fidem conjunctione, quia CHRISTUS dicit: Beati pauperes spiritu: fides enim nostra per CHRISTI verbum unita opposita, conjungit pugnancia, componit per naturam repugnancia, nec ullam per se proportionem ad unionem habentia. (5) in fiduciali regni DEI apprehensione & possessione, quia CHRISTUS disertis verbis ex eo demonstrat pauperum beatitudinem, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

17. Causa finalis alia dicitur respectu DEI, nim. DEI gloria, quae vel maxime declaratur in eo, quod pauperes ipse solus facere potest beatos, & hoc tantum facit in nominis sui gloriam, ut vere dicere debeamus Psal. CXV. 1. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: alia respectu nostri, sic alius est finis subordinatus, nim. regni caelorum, & donorum atque privilegiorum ejus possessio, & spiritualis per fidem in regno gratia fruitio, quia CHRISTUS h. l. dicit, Beati pauperes, Selig sind Luth. de presenti: Ipsorum EST regnum caelorum: alius ultimus,

B &

nim,



nim. eterna regni gloria possessio atq; fructio, quia talis beatitudo  
paupertatis in nunquam terminabiles divitias, in nunquam ces-  
sabilem gloriam aeternae vitae terminatur, vel aeternum gloriae  
pondus operatur II Cor. IV. 17.

18. III. Quoad *Analysin Homiletico-Rhetoricam*, sic varia  
themata, juxta praesens *Oraculum*, non inconvenienter propo-  
nuntur. Nos modo pauca notabimus. Christus nostri causa  
pauper factus est, veramq; pauperum Beatitudinem nobis pecca-  
toribus acquisivit, hinc etiam peccatores, & spiritualiter pau-  
peres, de *Spirituali pauperum Beatitudine* breviter informare vo-  
luit, exponens (I) *Spiritualis Pauperum Beatitudinis formam*,  
felix sind: qua ratione *Spiritualis Pauperum Beatitudo* consistit  
(1) *in beata malorum remotione*, quia CHRISTUS cuncta mala-  
rum peccata, tum penas peccatorum, sustulit. (2) *in beata bono-  
rum possessione*, quae per CHRISTUM fide contingit, sine qua  
nulla beatitudo peccatoribus conceditur. (3) *in beata DEI  
fruitione*, quia beatitudo nos ad DEUM reducit, ad quem  
omnis felicitas refertur. (II) *Spirit. Pauperum Beatitudinis Ma-  
teriam*, die geistlich arm sind/ quales sunt peccatores resipiscentes,  
qui sunt (1) *pauperes ratione DEI*, coram quo minime super-  
biunt, sed potius spiritualem indigentiam, & omnium bono-  
rum carentiam agnoscunt. (2) *pauperes ratione CHRISTI*,  
cui soli cuncta sua tribuunt, & à quo pariter omnia tantum ac-  
cipiunt. (3) *pauperes ratione sui*, quia nihil *justitiae*, nihil *meriti*,  
nihil *beatitudinis*, apud se reperiunt. (III) *Spirit. beatitudinis  
Pauperum Causam*, quoniam ipsorum est regnum caelorum (1) *jus-  
re spiritualis adoptionis*, respectu DEI Patris, qui nos in *Filios*,  
vel *heredes*, adoptavit. (2) *jure spiritualis cognationis*, respectu  
Filii, qui noster *Goel*, *agnatus*, vel *consanguineus*, & nos in *co-  
heredes* cooptavit Rom. IX. 17. (3) *ratione spiritualis oppignora-  
tionis*, respectu Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus est *pignus*  
nostrae salutis, vel *hereditatis* Eph. I. 14.

19. (II) *Arcana ditissima, vel abundantissima Paupertatis*  
*etiam CHRISTUS adducit, dum exponit (1) Arcana scopi:*  
felix



felig sind: nam pauperes Spirituales beati sunt (1) *passive*, vel  
*subjective*, quia non *causaliter* dicuntur *beantes*, nim. semetipfos,  
 sed *materialiter & subjective*, Beati. (2) *imputative*, quia sunt in  
 CHRISTO beati. (3) *inchoative*, quia mystica beatitudo sic in-  
 choatur, dum spe salvi facti sumus Rom. II. 24. (II) *Arcana sub-*  
*jecti*, die geistlich arm sind: sic ostenditur, quod peccatores peni-  
 tentes sint pauperes (1) *paupertate natura*, vel *essentia*, quia sunt  
*caro de carne* Job. III. 6. (2) *Paupertate potentia*, quia prorsus  
 nihil in Spiritualibus possunt I Cor. II. 14. (3) *Paupertate ener-*  
*gis*, vel *omnis gloria* Rom. III. 23. II Cor. III. 8. Phil. II. 12. (III)  
*Arcana Symboli*, vel *medii*, denn das Himmelreich ist Jhr. (1)  
 propter *possessionem maximam*, ἡ βασιλεία. (2) propter *possessionem*  
*optimam*, τῶν ἁγαθῶν. (3) propter *possessionem propriam*, ist Jhr/  
 non *jure nativo*, nec *acquisito*, sed *donativo*.

10. (III) De *Paupertate felici CHRISTUS* verum *parado-*  
*xon* exhibet, monstrans (1) *Paupertatis felicitatis Thesin*, felig sind  
 die/ quibus verbis indicatur (1) *Thesis scopi*, felig. (2) *Thesis*  
*medii*, sind/ nim. per *medium verbi CHRISTI*, quod hic addu-  
 citur. (3) *Thesis subjecti*, die/ nim. pauperes. (II) *Felicitatis Pauper-*  
*tatis Eccliesis*, die da geistlich arm sind/ quibus insinuat (1) *Ec-*  
*cliesis notabilis*, οἱ, non enim *communes*, sed prorsus *singulares*  
 pauperes hic intelliguntur. (2) *Eccliesis Materialis*, pauperes,  
 nim. *Spirituales*, ratione *DEI*, non *corporales*, ratione *sui*. (3)  
*Eccliesis formalis*, τὸ πνεῦμα, nim. à *Spiritu*, in *Spiritu*, ad *Spiri-*  
*ritum*. (III) *Felicitatis paupertatis basis*, qua ratione declaratur,  
 quod sit (1) *Basis verissima*, ὅτι, particula *causalis basis* ostendit.  
 (2) *Basis gloriosissima*, regnum caelorum. (3) *Basis propriissima*,  
 est ipsorum.

21. (IV) De *Gloria Mystica paupertatis* notamus (1) *Glo-*  
*ria paupertatis hujus intimationem*, felig sind / quibus indicatur  
 (1) *Intimatio divinissima*, quia nomine *DEI* per *verbum DEI*  
 proponitur. (2) *Intimatio utilissima*, quia per *CHRISTUM*  
 Salvatorem promulgatur. (3) *Intimatio efficacissima*, quia verbis  
 efficacissimis Matth. VII. ult. promulgatur. (II) *Gloria pauper-*



tatis hujus relationem, ad quos vid. pertineat, vel referatur, sic dicitur (1) Relatio, vel appropriatio mirabilis, quia refertur ad pauperes. (2) Relatio spiritualis, quia Spiritu fit. (3) relatio notabilis, quia dicuntur οἱ πτωχοὶ, qui caractere fidei notantur. (III) Gloria paupertatis Explicatio, quia dicitur (1) Gloria regni. (2) gloria cali. (3) gloria DEI, dum communem cum DEO possessionem in caelis hi pauperes obtinent.

22. IV. Quoad *Analysin Theoretico-Practicam* notamus (A) *Didactica*. (a) *Beatitudinem esse summum hominis Christiani scopum, ultimam metam*, quia primum à CHRISTO hic attenditur, & in verbo præstenditur, & à nobis intenditur. (b) Nos omnes esse pauperes (1) *ratione mundi, tum quoad mundanum ingressum*, quia nihil prorsus in mundum intulimus I Tim. VI. 7, tum quoad mundanum progressum, quia, quamdiu vivimus, candidati paupertatis existimus, vel actu ipso pauperes sumus: tum quoad mundanum egressum, quia nihil ex mundo auferre possumus I Tim. VI. 7. (2) *ratione DEI*, quia hujus respectu destituimur omni gloria, omni abundantia Rom. III. 23. & in DEO nos sumus, vivimus, & movemur, Act. XVII. 28. (3) *ratione nostri*, quia rebus in humanis nulla reperitur ἀνταρθεσία. (4) *ratione verbi*, vel etiam *regni DEI, seu spiritualis objecti* I Cor. II. 14. (c) *Pauperes Spirituales esse*, qui corpore sunt in terris, mente in caelis, quoad externam conservationem in mundo, quoad internam meditationem in DEO. (d) *Paupertatem optimam esse* (1) *abnegare semetipsum*. (2) *abnegare sua*. (3) *abnegare mundana*. [e] *Dives paupertas est*, quæ pro mundo celum, pro nibilo regnum, pro Diabolo DEUM, pro peccato CHRISTUM &c: obtinet. [f] *Paupertas mirabilis est*, quæ regnum caelorum, imò DEUM ipsum possidet. [g] *Beati dicuntur pauperes Spiritu, vel peccatores penitentes* (1) *non ratione natura, sed gratia*. (2) *non ratione rei, sed spei*. (3) *non ratione beatitudinis futura, sed presentis*. (4) *non ratione patriæ, sed viæ*. (5) *beatitudine non externa, sed interna*. (6) *non ratione sui, sed ratione CHRISTI*. (7) *non ratione facti, sed fidei*.



fidei. (8) non ratione mundi, sed ratione D E I. (9) non ratio-  
ne consummationis, sed inchoationis (10) non in nostro studio, sed  
in D E I verbo &c:

23. (II) *Elenctica*: sic (1) refellitur hic Diabolicus Sar-  
casmus *Juliani Apostata*, qui turpiter oraculo presenti fuit abu-  
sus, dum Christianos bonis omnibus exuere solitus est, ex mali-  
noso hoc prætectu, quod ipsorum Salvator beatos pauperes  
prædicavit: sic igitur ipse per spoliationem promotor Christi-  
anorum existere voluit, ἵν' εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐσθώτε-  
ρον πορευθῶσι, quo facilius in regnum caelorum ingrederentur. Ve-  
rum Christus loquitur de pauperibus τῷ πνεύματι, non verò  
τῷ κτήματι. (2) Pontificiorum commentum, quo locum hunc  
de voto monasticae paupertatis communiter exponunt, sicut scri-  
bit *Cornel. à Lap. in b. l. Pauperes proprie hic accipiuntur*, oppo-  
nuntur enim divitibus *Luc. VI. 24.* Et postea: *Beati ergo hic di-  
cuntur pauperes, qui laudabili voluntate, à Spiritu S. inspirati, sunt*  
*pauperes, uti fit à religiosis, qui eam proficuntur, & vovent.* Vid.  
*Bell. l. 2. de Monach. c. 20. Maldonatus, Barrad. &c:* Verum  
CHRISTUS agit de pauperibus τῷ πνεύματι, vel Spiritu, non  
τῷ εὐγυμῶν, seu voto: pauperes hic spiritualiter, non corporaliter  
intelliguntur, sicut verba diserta monstrant. (3) *Bellarminus lib.*  
*5. de justif. ex h. l. probare contendit, licitum esse bona opera face-*  
*re intuitu mercedis aeternae.* Verum ex h. l. nihil minus, quam fa-  
lis mercenarius intuitus probari potest, cum omnia meram spi-  
rent gratiam; sumus enim pauperes ex gratia, sumus spiritu pau-  
peres ex gratia, regnum caelorum est nostrum ex gratia &c: (4)  
Paupertas nec *Monastica*, nec alia dicitur regni caelorum, vel e-  
tiam salutis nostrae causa, contra *Papistas*, qui communiter  
voto paupertatis monasticae meritum aliquod affingunt. (5) Pau-  
peritas spiritualis non est necessarium requisitum, vel causa sine  
qua non justificationis, sive salutis, adversus *Interimistas & Sym-*  
*ocricistas.* (6) *Immediatè & directè tantum unum esse sensum litera-*  
*lem h. l. de paupertate Spiritu*, sicut verba diserta docent, contra  
Scob.




Socinum, qui in *Explic. Concionis CHRISTI Matth. V. seqq.* pag. 1. hæsitanter scribit: *Pauperes Spiritu beati vocantur à CHRISTO, quod dupliciter intelligi potest, nimirum vel de paupertate pecuniarum, vel de paupertate Spiritus &c: utramque prolixè declarat. Verum scripturæ sensus certus est, non incertus.*

24. (III) *Parænetica* (1) *Beatitudinem veram in omnibus esse respiciendam.* (2) *Paupertatem, externam etiam, esse viam expeditam ad regnum cælorum, cum divitiis seculum multa trahant impedimenta Matth. XIX. 23. Luc. IX. 7. 8. 14, & multo magis dicendum id de paupertate spirituali.* (3) *In consideratione nostræ paupertatis esse confugiendum ad divinam liberalitatem & benignitatem.* (4) *In mundo cuncta, pauperum instar, relinquenda, ut Christum sequi, & cælorum regnum consequi possimus.*

25. (IV) *Epanorthotica* (1) *Non esse divitiis externis & corporalibus, multo minus internis & spiritualibus confidendum.* (2) *Non esse tantum mundum, sed etiam seipsum abnegandum. Non prodest nobis, inquit Hugo Victorinus, nostram relinquere, nisi relinquamus & nos: non enim dicit Dominus: beati pauperes rebus, sed Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* (3) *Non esse nostris viribus quicquam tribuendum, quia debemus esse Spiritu pauperes.*

26. (V) *Paracletica* (1) *Nostra paupertas post se trahit regni cælorum divitias.* (2) *Divitem esse paupertatem, quæ DEUM, CHRISTUM, & omnia possidet.* (3) *Spiritu pauperes corpore tantum in terris, sed mente, vel fide semper esse in cælis.* (4) *Spiritualis paupertas in CHRISTO vere beatam esse.* (5) *Pauperes Spiritu, mundo pauperes, DEO reges, & regni cælorum esse possessores.*





**Q**uam tumidè jactat pars paupertatis inanis  
 Nomen, & Astrorum gaudia jure petit.  
 Ast ubi mens subjecta Deo? Mens conscia culpa  
 Desperat prorsus de propriis meritis.  
 Hac quod si miseros fratres urgeret egestas,  
 Haud præsentarent jura superba Deo.  
 Agnoscas culpam, desse, veniamque precare.  
 Credenti gratis porta beata patet

ABRAHAM GALOVIUS, D.

**V**ere beatus pauper est,      Regniqve Celi est incola,  
 Qui nil sibi, nil viribus,      Quator id Christus docet.  
 Et nil operibus dant suis,      Ex ore Christi hæc reppetis.  
 Sed cuncta Christo consecrat.      AMICE clare docte, nunc:  
 Qui Spiritu sic pauper est.      Pergas, Tibi Christus dabit,  
 Is omne donum possidet,      Et nunc, & olim præmia.

JOHANNES Deutschmann/ D.

Quid gloriare tui congestos æris acervos,  
 Quid fulvos nummos Cræse superbe crepas?  
 Quem multis opibus regina pecunia donat,  
 Is summi interdum nescius ipse Deo  
 Sæpè angit duris miseros in rebus egestas,  
 Sed meliora olim Christe benigne dabis.  
 Mystica pauperies peccantes Sæpè fatigat,  
 Cum clamant, illos summus Jova beat.

MICHAEL WALTHERUS, P.P.

**A**uspiciis conscende bonis pia pulpita Doctum,  
 Cum mihi cum Musis dulcis Amicie novem,  
 Auguror optatum successum & docta laborum  
 Præmia, quæ Phoebi dextera larga refert.  
 Vel Tibi retribuet Numen Celeste piorum,  
 Cui Te doctrinis & pietate probas,  
 Doctissimo DNO. RESPONDENTI Amico dilecto scilicet  
 GEORGIUS GREEN Hist: P.P.

**H**aud malè, Paupertatis onus qui dixerit alas  
 Ad juga Virtutis, quæis volitatur iter.  
 At meliore Tuâ, quos, Spiritus alme, beatos  
 Paupertate cies, hac sine dives, eges.

Boni ominis ergo ser.

CHRISTIANUS DONATI;  
 Log, ac Met, Prof, P



Qvod de beatitate disputas, bene est,  
Precorqve, ut omni sis beatus tempore!

GEORGIUS Peucker/ Neosol  
Hung. Philos. & Theol. Stud.

Quem Probitas morum, & Studii solertia laudat,  
Hunc, mihi fas laudum, sit decorare metro,  
Haud damnosa tuis Paupertas turibus obstat,  
Sæpè, sit, ut scandas Pulpita, Pauper, agas!

\* \* \*

W Eil der hohen Tugend Strahlen/  
So mit Gottes Furcht gepaart/  
Seinen Scheitel/ ~~W~~ ~~S~~ ~~I~~ ~~D~~ / bemahlen  
So erzwing' t die Pflicht und Art/  
Welch ein ~~D~~ ~~A~~ ~~M~~ ~~D~~ ~~S~~ ~~S~~ ~~J~~ ~~N~~ ~~D~~ erfordert  
Und in weisen Flammen lodert/  
Ihm ein Lob-Reym anzustellen.  
Denn Er Narrenrand verlacht/  
( Babylon mag immer fellen  
Durch dem falschen Reichthums Pracht/  
Ihre unbesinnte Affen /  
Die sich nur an Ihr vergaffen. )  
Und das reichste Armuth rühmet  
Welches zu den Himmel führt:  
Wird Er/ ( wo das Feld beblühmet  
Wo kein Aolus hin rührt/ )  
In den güldnen Musen-Auen  
Sein belohntes Armuth schauen.

Mit diesen wenigen/ wolte seinen sehr wehren  
Freunde/ viellgeliebten Hn. Lands-Mann  
und Stuben Gesellen/ glückwünd-  
schend verehren.

GEORGIUS SUTORIUS,  
Von Dedenburg/ auß Nider Ungern  
D. H. S. B.

(O) 20





05 A 263

ULB Halle  
004 206 312

3




1017











*Auxiliante Deo Trinuno!*  
Dissertationem Theologicam  
*Exhibentem*

# SPIRITUALIUM PAUPERUM BEA- TITUDINEM,

juxta Matth. V. v. 3.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi atq; Excellentissimi*

**DNI. JOHANNIS Deutschmann/**

SS. Theol: D. longè celeberrimi, ejusdemq; facult:

Prof: Publ: ordinarii famigeratissimi, & Alumnorum  
Electoralium Ephori Gravissimi,

*Dn. Patroni, Fautoris ac Præceptoris sui omni  
honoris & observantia cultu eternum devenerandi.*

In famigeratissima ad Albim Academia  
*publica Disquisitioni sistit.*

**CHRISTOPH: FRIDER: Grattenauer/**

St. Gotthardienfis Hung: SS Theol. & Phil: Stud:

*IN AUDITORIO MAJORI.*

Die 4 Octobris Anno M. DC. LXXVII.

---

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.  
Excud: bat SIMON LIBERHIRT,